Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die jovis 9. Januarii.

M. CAROLO MARTEAU, Doctore Medico, Præſide.

Suntne carnoſi minus ingenioſi?

HOMO conſtat ex corpore & animâ, utriuſque præſtantiâ cæteris antecellit animalibus. Corpus (quod velut optimam & pulcherrimam vitæ ſupellectilem anima ſibi fabricata eſt) commendant ſtructura elegans cum decenti colore, firmum robur, & ſanitas inculpata: ex quibus forma corporis venuſta exurgit, ſæpiſſimè ſtoliditatis aſſecla. Ut mirum non ſit fœminam, quæ venuſtatem ſibi propriam aſſerit, viro longè eſſe ingenio inferiorem. Qui tamen eam monſtrum credit, injurius fit in naturam: quæ hominum perennitati proſpicit, dum fœminam præſtantiſſimum & conſultiſſimum opus edit, ſine cujus conſortio non naſceretur homo. Animæ cum corpore colligatio miraculi plena, quod fiat nullâ interiectâ ſubſtantiæ affinitate. Hoc enim totum materiale procreatur è primordiis generationis, menſtruo ſolâ copiâ peccante, nec fluente ab uterino fermento, & ſemine in utroque parente prolifico, non è capite ſinguliſve corporis partibus deciduo, ſed è ſanguine cum triplici ſpirituum genere permixto à teſtibus vi inſitâ confecto. Illa tota immaterialis & incorporea extrinſecùs accedit, & à ſolo Deo creando infunditur, ipſo conceptionis tempore: nec ullatenùs pendet à corpore, ſecundum ſubſtantiam ſpectata: ſine cujus commercio longè etiam præſtantiùs ſua obiret munia. Sed huic alligata tota iners jacet, niſi & hoc illi opis aliquid afferat. Quare ſibi mutuùm ancillantur corpus & anima ad functiones vitæ edendas. Sua enim animæ corpus elargitur organa expedita & comparata ad obſequium: dividit anima ceu jure imperij facultates, & ſpiritus ad vitæ munia deſignat. Quin etiam vis animæ in quolibet non aliundè diſpar apparet, quam ex ſenſuum præſtantiâ, diverſâ cerebri conformatione, totius corporis ſtructurâ, inæquali temperie, ac etiam ex corporis habitu, qui variat pro cujuſvis humoris dominatu.

ANIMA motu & cognitione definitur: ſi verum amamus, hujus facultatum & functionum doctrina, nec non de iis à veteribus inſtituta diſſertatio quævis, res eſt tota tenebris plena. Quis enim hucuſque ſatis illuſtravit, quâ ratione cudantur ſpiritus, corpora ſubtiliſſima & tenuiſſima in cerebro frigidiori? quâ naturæ induſtriâ ad minimas & remotiſſimas corporis partes momento deferantur? quorum vi & impetu ingens muſculorum moles, in varias imò & oppoſitas partes diſtrahatur: unâque imperante animâ, innumeræ vel etiam diſſitæ patticulæ, interjectis partibus immoris, motus innumeros edant: dum & ipſi ſpiritus ſimùl & ſenſibus & menti inſerviunt, ad diſtincta munia obeunda? nec certè tenebras diſpellunt recentiores, valvulis, fibrillis, hiatibus, aliiſque rebus quas in nervis, motuſque & ſenſuum organis excogitarunt. Nec majorem lucem afferunt ex ſuâ fermentatione plus æquo jam decantatâ: quaſi ſingulis partibus ſuum inſit fermentum, à quo omnis pendeat actio: quam ſanè ſatius eſt uni calori & ſpiritui præcipuis animæ inſtrumentis acceptam referre. Ne ergo cum ipſis naturam ad noſtros conceptus contorquere videamur, hoc unum aſſeverandum, eam licet indoctam & ineruditam, quæ facto ſint opus, præſtare: quorum modum nec mens humana ſemper attingit. Errant qui non ſenſum, ſed ſolam mentem rerum judicem volunt: cum etiam actio intelligentiæ, ab his quæ ſub ſenſum cadunt, proficiſcatur: ut propterea ſenſuum authoritas rationi ſæpè ſit anteponenda. Senſus totus corpori immerſus vel eſt internus, vel externus: hujus quinque ſpecies numerantur: nec enim à tactu voluptatem veneream quis rectè diſtinguet: ille functione quidem multiplex, ſed reipsâ ſimplex. Homo omni ſenſu omnia vincit animalia. Uni animæ mens inſidet, quâ ſolus homo eſt præditus: quæque res etiam incorporeas & ab omni materiâ abſtractas contemplatur. Nunquam hæc ægrotat: (quidquid ſenſerit Hippoctates vir alioqui maximus) non ſemper tamen ſui ſimilis videtur, dum ſenſibus affixa hæret: unde & homo magis minuſve ingenioſus æſtimatur & ubi phantaſia menti ſpecies præbet purgatiſſimas, (quod rarùm eſt in carnoſis) hujus munia præclariùs peraguntur.

MENTIS plures ſunt virtutes, ſed duo prima genera: unum earum quæ in voluntate poſitæ, magis proprio nomine appellari ſolent virtutes, quarum eſt excellens in animorum laude præſtantia: quales ſunt prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia, & reliquæ ejuſdem generis. Alterum earum quæ ſolent ſuâpte naturâ ingenerari, & ideò appellantur non voluntariæ: hujus generis ſunt docilitas, acumen, ſolertia, memoria, & etiam prudentia: quæ ferè omnia appellantur uno ingenij nomine: eaſque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur. Sed earum connexio rara: vix enim aliquem reperias, quem his omnibus beet natura. Verùm quas hæc negat, uſu & labore quis poteſt ſibi comparare: hinc alium natura, alium doctrina gignit. Immo & homines ſimplices nati, quos ingenij penna non adjuvat, aſſiduo ſtudio ingenioſos poſt ſe aliquandò relinquunt. Ni enim colatur, torpet ingenium. Si recta quoque adhibeatur victus ratio, prudentiores & acutiores præter naturam evadent: quin etiam ingenio ſtimulos ſubdere fama ſolet: miſeriſque venir ſolertia rebus. Ut tamen alter alteri laudatis virtutibus à naturâ præſtat, ſic alter altero eas faciliùs aſſequitur: pro ſenſuum præſtantiâ, qui ſani & acuti quam promptiſſimè ab objectis propriis afficiantur, ut veri ſint rerum interpretes, ne in errorem mentem inducant: pro laudabiliori capitis ſtructurâ, quod hinc inde pauliſper depreſſum, occipite amplum, fronte & ſyncipite promineat: pro cerebri temperie & conformatione, quod ſit copioſum, nonnihil calidum ſiccum, ſuis ſinibus diſtinctum, omnis generis ductibus, neque anguſtioribus, neque laxioribus pervium, peridoneum emittendis halitibus humorumque reliquiis, terſâ ac meabili texturâ donatum, & ſpirituum limpidiſſimorum copiâ colluſtratum: in quo toto mens præcipuam ſuam ſedem habet, non in conario: denique pro vario in toto corpore exuperante humore, undè alios videas pingues, alios graciles, ſubflavos, rubicundos, albos, nigros, duros, molles, glabros, hirſutos: qui fuerint carnoſi, ad omnes ingenij virtutes minus habiles redduntur.

DOCILITAS quædam eſt mentis aptitudo, ad ea, quæ quis ignorat, ab aliquo ediſcenda, quâ etiam idem ſollicitè & frequenter applicat animum aliorum documentis, quæ nec negligat, nec contemnat, donec ea percipiat. Quis eam credat in carnoſis totam reperiri, quorum motus omnes ſegnes ſunt, lenti, & pigri? acumen promptitudo eſt, quâ quis celeriter quæ animo obverſantur apprehendit: vel etiam ad ea quæ proponuntur, quam citiſſimè & aptiſſimè reponit, beneficio ſpirituum, qui ſint tenues, ſubtiles, & ad motum velociſſimi. Quales non procreantur in carnosâ corporis habitudine, craſſioris & tardioris humoris indice. Solertia habilitas eſt ſeu poteſtas ea etiam ex tempore & proprio marte intelligendi vel inveſtigandi, quæ fieri expedit: citò & facilè abſtruſa quæque cognituque difficilia percipiendi, eaque uberiùs & ornatiùs explicandi: & quodvis medium inveniendi quo quid ad ſcopum, eumque laudabilem perducatur. Ubi enim malus eſt ac turpis ſcopus, verſutia nominanda: de quâ ſolâ venit intelligendum, fraus ingenij comes. Solertiam augent purgatiſſimi & plurimi ſpiritus: quales fieri prohibet in carnoſis impedita tranſpiratio: immò & in carnis molem plures humores abſumuntur, undè & pauci ſuperſunt, è quibus cudantur ſpiritus, qui nec ſunt ab omni fæce repurgati. Memoria rerum eſt diuturna conſervatio, quas quis mente percepit, eodemque ordine, quo eas edidicit, pro tempore facta explanatio. Qui ocyùs multa ediſcit, quæ citò obliviſcitur, memor non dicendus: ſed qui longo poſt tempore, eadem reponit: in quo ſanè nitor, ſplendorque cerebri cum ſiccitate conjunctus commendatur. Utroque deſtituuntur carnoſi, in quibus & mollius eſt cerebrum, & ſanguine fuliginoſo circunfuſum. Prudentia non in ſolâ voluntate poſita eſt, ſed etiam ſuâpte naturâ ingeneratur: nec enim ſolus eſt amor boni & fuga mali: ſed & eorum, quæ bona ſunt vel mala dignotio ac præviſio: ut quod bonum eſt diſcernatur ac eligatur. Quod potiſſimùm pendet ab acri & ſtabili judicio: quale vix reperias in carnoſis: quorum etiam ſenſus molles ſunt & obtuſi, ut proptereà mentem non ſatis colluſtrent, ſed potiùs quâdam veluti caligine obruant: unde & hæc non accuratè rerum diſcrimina diſtinguit.

INGENIOSUM vix aliquem reperias in quo unus tantum exuperet humor: ſed in quo propè æqualis eſt omnium mixtio, in eo omnes etiam ingenij virtutes connectuntur, licet is à cæteris aliquâ ſuperetur. Jure ergo optimè temperatis ingenij palma defertur. Bilioſi acie & celeritate ingenij cæteros vincunt: ſed oblivioſi, imprudentes, leves, temerarij, ſuperbi, impotentes, & inſaniæ proximi. Melancholici (quales etiam reddit ſingularis vitæ inſtitutio) pro caloris aut frigoris exceſſu, ut varios animi motus edunt, ſic varias obtinent ingenij virtutes. Acri quidem judicio, & fœlici memoriâ cæteris aliquandò præpollent, propoſiti ſunt tenaces, ubique firmi & conſtantes: ſed dum pertinaciùs ſua ſenſa æqua vel iniqua propugnant, vel aliquid abſtruſum & difficile ſcrutantur accuratiùs, fiunt ſubfurioſi, vel melancholiæ morbis obnoxij: vanis inanibuſque phantaſiæ ludibriis delectantur tantùm, vel mœrore conficiuntur: plorant cum à nemine vexantur aut verberantur: minimè metuenda metuunt: moleſtiâ afficiuntur ubi minimè convenit: & ſentiunt quæ prudentes non deceant. Pituitoſi, qui carnoſi ſiunt, ſed molles & albi, ad quodlibet animi munus inepti redduntur: nec niſi aſinino more corporis munia obeunt: ut revera mente & corpore fiant inertes. Sanguinei, quos maximè carnoſos eſſe contingit, animi quâdam docilitate ſæpiſſimè aliorum documenta nec contemnunt nec negligunt, quæ tamen vix mente paulò obtuſiori percipiunt. Quorum caro eſt ſicca, dura, adſtricta, denſa aut compacta, ij quidem nervoſi, robuſti, & hirſuti exiſtunt, ad corporis exercitia vehementiora ſiunt aptiores, improbi laboris ſunt patientes, ut etiam ferendis, vel boum inſtar trahendis gravioribus oneribus pares reddantur: quod craſſiores ſpiritus non ita facilè tenues evaneſcant in auras. Ad artes quoque quæ lacertorum robore conquiruntur, forſan magis induſtrij evadunt: ſed in iis à ſanguinis fervore frequentes ſiunt mentis emotiones, & morum ferocia inducitur: non niſi duro & pertinaci labore, quas iis denegavit natura, acquirunt ingenij virtutes; nec ingenioſos dixeris, qui craſſipelles magis feritatis quam lenitatis ſunt participes: quique ſolùm longiori morâ & diuturniori meditatione, quæ animo obverſantur apprehendunt: quaſi ſupra humanam ſortem ſit, ut quis ſimùl valeat & ſapiat. Quorum verò caro mollis eſt & humida, laxa, rara, aut ſpongioſa, vel etiam multo adipe circunfuſa, ij labores non ferunt; quæ non ante ſciunt, ut plurimùm percipere nequeunt: ſegnes ſunt, curis vacui, & ſomnolenti, venuſti, ſed ignavi & imbelles: ſinceri & minimè mali, ſed creduli: ingenui & ſimplices, ſed arcanorum nequaquàm tenaces, quę enuntiando, diras ſtrages edunt incauti: hilares, ſed ſtolidi, vel etiàm dementes: & ad omnes artes craſſi, neque ſubtiles, neque acuti, nec niſi pingui & tardo ingenio donati.

Sunt ergo carnoſi minus ingenioſi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paulus Mattot.
M. Carolus le Long.
M. Ludovicus Morin.

M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.
M. Raymundus Finot.

M. Franciſcus Blondel.
M. Iacobus Renant.
M. Claudius Quiquebeuf.

Proponebat Pariſiis MICHAEL DE HODENCQ, Poxianus Ambianenſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.